

www.e-rara.ch

Joh. Ludovici Fabricicii Opera omnia

Fabricius, Johann Ludwig

Tiguri, a. 1698

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13320>

Meditatio de typo omnium disciplinarum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

MEDITATIO

DE

TYPO OMNIUM DISCIPLINARUM.

I. **Q**uotiescunque in cogitationes meas reflexo examine inquirō, earum varietatem infinitam propemodum esse deprehendo. Interdum enim *MENS* mea ab omnibus aliis rebus abstracta in semet ipsam se colligit, & *Quenam* sit, & *Unde* sit, & *Unde* conserveatur, & *Quid* agat, & *Quomodo* agat, & *in* *Quanam* agat, & *Quamdiu* sit actura, curiosius investigat: interdum extra se expatiatur, & illud, quo vestita est corpus, perlustrat: miratur intimam Ejus cum seipsa conjunctionem, miratur utriusque actionum consociationem, eamque adeò arctam, ut, quo momento corpori infertur plaga, plaga ad ipsam penetret mentem, & corpus vicissim ex mentis languore languescat, atque ad simplicem ejus nutum scribat manus, ambulent pedes, loquatur lingua.

II. Inde singulas sui illius naturalis vestimenti partes *Mens* considerat; Oculorum fabricam explicat; quonam penicillo corporum imagines in iis depingantur, explorat; quo pacto liquidi neque per meatuum tamen anfractus distorti soni ad ipsam illabantur, perquirat; reliquorum sensuum organa examinat; cerebri potissimum, utpote penetralis sui, architecturam stupet; viscerum œconomiam, venarum, nervorum, ossium, musculorum, membranarum, fibrarum innumerabilem sed harmonicam tamen multitudinem percurrit, temperare sibi non potest, quin subinde exclamet; *Quàm mirabiliter creatus sum!*

III. Neque tamen his meditationibus expletur, neque propriis limitibus continetur *Animus*; ad externa quæcunque se diffundit. Herbas & animantia, & quicquid alma profert vel visceribus suis abscondit *Tellus*, scrutatur; vastas Oceani plagas contuetur, squamosas Ejus gentes dinumerat; per aëra tranat, & ad astra se evehit, cœlorumque orbem emetitur. Iterum descendit, humani generis societates & earum vincula actionesque considerat; quid ante hac gestum, ex prisca annalibus repetit; quid olim futurum, ex oraculis vel aliunde aut prospicit, aut prospicere laborat. Sic huc illuc irrequietus divagatur, dum Rerum Universitatem raptim delineat, & quæcunque ipsi occurrunt, non fugaci tantum, sed & firmâ adumbratione repræsentat, ita ut, quanta est rerum consideratarum, tanta etiam sit imaginum menti infixarum multitudo,

L

IV. Ve-

IV. Verùm hanc multitudinem nimia varietate confusam esse deprehendo; quapropter eam in certum ordinem redigere, & in distinctas veluti classes dispecere cogito, quò faciliùs nimirum de singularum veritate postea judicare liceat. Etenim illi, qui Bibliothecam adornant, non farraginis, aut lapidum cumuli instar disiectos relinquunt libros suos, sed juxta materiæ diversitatem diversis thesibus locatos ita disponunt, ut in hoc latere, Theologorum; in altero, Philosophorum; hic juris Consultorum, ibi Medicorum scripta ordine distributa facile reperias. At libri aliud non sunt, quàm receptacula, quibus invisibilium cogitationum visibiles continentur notæ. Quod si igitur eos in certas classes digeri necesse sit, quantò magis ipsum cogitationum nostrarum in mente residens systema, certis sectionibus interstingui debet?

V. Sic & Antiquarii *κεμήλια* atque numismata sua distinctis forulis condunt, pictasque tabulas convenienti ordine in atriis suspendunt, ut alia sit Imperatorum, Pontificum alia, alia Militum, alia Doctorem series. Quin ipsa Rerum *Natura* istiusmodi discriminationem postulat; nam & *Intelligentiarum* sphaeram à *Corporum* classe separavit, neque *Mathematicarum* veritatum ordinem cum *morum* præceptionibus confusum esse voluit. Quando igitur cogitationes nostræ rebus ipsis, quantum fieri potest, sunt conformandæ, eadem, quem *Natura* posuit, ordini ordine suo respondeant, necesse est.

VI. *Ordinationem* istam præsentī meditatione aggrediar, ubi unum præmonuero; Res nimirum omnes, non *Veras* solùm, sed & *Bonas*, non *intellectum* tantum illustrare, sed & *voluntatem* efficere natas esse, ita ut vix ulla earum suscipi queat consideratio, quin ex ea aliquis ad vitam felicitiùs transigendam percipi possit & debeat fructus; ac proinde singulos cogitationum Ordines duabus partibus esse absolvendos; quarum prior, nudam Propositi considerationem; posterior, utilem Ejusdem applicationem contineat.

VII. Jam igitur incipit mea *MENS*, & idearum suarum seriem per texere laborat. Cùm sibi proxima sit, à seipsa meditandi initium facit, inde *Primam Intelligentiam*, & ad alias à *Corpore penitus segregatas Mentis* progreditur. Meditationes illæ omnes uno fasciculo solent compingi, quem alii *Metaphysicos*, alii *Pneumaticos* nomine insigniunt. Mihi distinctior ordo placet. Nimirum

VIII. *Æternam* illam *Mentem*, quæ *DEUS* dicitur, à qua & Ego originem duco, mira cum voluptate sapius contemplor, & multas circa *Immensum* illud *Pulcrum* elicio cogitationes, quarum comprehensio appellatur *THEOLOGIA*. Quandoquidem autem *Mens* illa & *primum Verum est*, & *summum Bonum*, quod & *intellectui* contemplandum, & *Voluntati* amandum obversatur: hinc duplices circa eam cogitationes suscipio; alias, quæ summa Ejus erga nos *Beneficia*; alias, quæ nostrum erga Eam *officium* repræsentent. Illæ *Contemplatricem*, hæc *Actricem* *Theologiam*; illæ *Divinam Sapientiam*, hæc *Prudentiam* constituunt.

IX. Nunc

IX. Nunc ab altissimo illo Numinis fastigio ad inferiora descendo. Audi-
 divi sæpius, & multis rationibus ipse deprehendi, medias quasdam, ut ita di-
 cam, inter Deum & Me existere *Mentes Puras*, à corporis consortio liberas.
 Harum cognitionem ANGELOGRAPHIAM dico, ubi quæcunque de Dæ-
 monibus Bonis, Malis; de Spectris, de Energumenis, sive vera sive commentitia
 feruntur, mihi meditanda sunt. *Contemplative* illi *Demonologie* accedit *Præcti-*
ca, de Spiritibus istis sive Bonis amicitia mihi conciliandis, sive Malis à me ar-
 cendis. Cujus rei legitimam viam dum inquirō, eos quos impietas & male
 sana superstitione adinvenit errores de *ἀγνοήθησεναι*, totamque adeo *Theurgiam*
 & circa *Dæmones* occupatam *Magiam*, detestandas & procul eliminandas cogi-
 tationes esse comperio.

X. Nunc *Mens* mea in seipsam redit, seipsam & suam à corpore distin-
 ctionem futuramque separationem considerat, quarum meditationum conge-
 riam PSYCHOLOGIAM vocare lubet. Dum autem accuratè seipsam excu-
 tit, triplices potissimum actiones in se deprehendit: *Intelligere*, *Velle*, & intel-
 lectum ac volitum *meminisse*. Porro animadvertit, se rem propositam interdum
 verè, id est, prout se habet, *intelligere*, interdum falsò, adeoque etiam interdum
 bona, verè Bona, interdum fucata & apparentia *velle*, earumque actionum
memoriam interdum firmiter inculptam manere, interdum leviter evanescere.
 His vitiis ut obviam eat, & quantum potest, perfectionem suam promoveat, de
Intellectu, *Voluntate*, *Memoria* dirigendis & emendandis cogitat. Certam igitur
 meditandi rationem rationi suæ ex ratione præscribit, quam LOGICAM di-
 cit. Ex natura item Leges depromit, quibus voluntas dirigatur, quarum per-
 ceptionem MORALEM disciplinam vocat, ab Actrice Theologia non mul-
 tum diversam. Memoriam tandem industriâ aliquâ corroborare, & signis effi-
 caciorebus excitare atque adjuvare enititur, quod studium MNEMONICAM
 appellat.

XI. Hic paululum *Mens* subsistit, undiquaque circumspèctans. De-
 prehendendo me jam multa cogitasse, & multa mihi restare cogitanda. Juvat *mul-*
titudinem illam, quæ talem, colligere in Unitatem, sic *numerum* constituo; cui
 pro lubitu plures unitates addo, plures detraho, eum variis figuris induo, mi-
 ficeo, confero; unde admirandæ istiusmodi *collectarum unitatum* emergunt af-
 fectiones, quarum omnium meditatio est ARITHMETICA, cujus pars *Cos-*
sa sive *Algebra*.

XII. Sed pergamus. Mentem consideravi; nunc Corpus, id est, Rem
 in longum, latum & profundum extensam, ejusque extensionis varias deter-
 minationes cogito, neque speciatim tamen ipsas Res, quibus extensio & figuræ
 illæ insunt vel inesse possunt, considero. Talem meditationem *συναδοχμῶς*,
 imò *καταχρηστικῶς* GEOMETRIAM vocant, melius forte *Somatologiam* dice-
 rem. Quæ si circa ipsa Corpora existentia ita versetur, ut eorum extensionem

mensuret, *GEODÆSIÆ* nomine insignitur; specialius, quando corporum longitudinem, adeoque distantiam metitur, *LONGIMETRIA*; quando superficiem, *PLANIMETRIA*; quando soliditatem, *STEREOMETRIA* dicitur. Quarum omnium cognitionum usus per disciplinas *MECHANICAS* latè se diffundit.

XIII. In corporis autem consideratione non sola occurrit extensio; sunt & aliæ ejus spectandæ affectiones, inter quas primatum obtinet *MOTUS*, quo corpus incipit, desinit, accrescit, diminuitur, alteratur, & nunc in hujus nunc in illius quiescentis corporis viciniam transit, cum quo etiam & durationis & sitûs ratione componitur variè atque miscetur. Quam meditationem, dum ad singulas corporis species non descendit, *PHYSICÆ GENERALIS* nomine insigniunt Philosophi: ubi ex ordine quoque suscipienda esset consideratio *LUCIS*, quâ mira *cælorum* visui nostro exponitur varietas. *OPTICA* hæc est, cujus Geometriæ conjunctus usus *SCENOGRAPHIAM* constituit.

XIV. Verùm non oculos tantùm, sed & aures meas incurrit corpus, dum motione sua aërem diversimodè quatit & *Sonorum* diversitatem producit. Igitur & hoc meditandum, & simplex constituenda *PHTHONGOLOGIA*. Quam ubi absolverim, sonorum inter se proportionem investigabo, quæ investigatio *HARMONICÆ* nomine significabitur. Nunquid autem hominibus data est facultas, aërem ita artificiosè torquendi, ut gratus auribus illabatur? Hæc *MUSICA vocalis* est, quam *ORGANICA* imitatur & supplet. Incidit nunc & alia corporis affectio, *gravitas* nimirum *levitati* opposita; cujus intimior contemplatio, plurimarum Mechanicarum artium, *STATICÆ* imprimis & *AUTOMATOPOETICÆ*, fundamenta locat. Sed ane omnia, quæ in corpore observanda veniunt, sigillatim recensebimus? Nimis vastus hic est campus. Per nobiliores tantùm corporum species nunc ibimus.

XV. Exhibet se nobis primùm contemplandam Alma nostra Mater & Nutrix *Terra*, latèque patentem superficiem ostentat. Eam considerare possumus vel qualem Natura produxit, vel qualem Hominum industria effecit. Ibi ejus tota facies emetienda, juxta naturales differentias determinanda & cum cœlestium corporum motu atque extensione est conferenda; hic, quomodo Incolarum arte ornata, ad habitationem accommodata, & pro societatum atque imperiorum diversitate divisa sit, spectandum. Illa meditatio *Mathematicam*, hæc *Politicam* sive *Historicam GEOGRAPHIAM* constituit.

XVI. Terræ interfusam video Aquam, & hanc meditor, sive illa in vasta Oceani congerie liberè volvatur, sive curvis terræ brachiis aut angustioribus limitibus concludatur, sive lacûs sive fluminis sive fontis nomen induat, sive calida scaturiat sive frigida, sive pura sive mineralium viribus tincta. Omnis hæc meditatio *HYDROGRAPHIAM* conficit. Verum, nunquid, trans flumen istud, terram video? Eam lubens adirem. Impedit interflua aqua;

qua; corporis mei pondus recusat ferre. At alia animantia tranant. Imitator illa. Bene se habet. Hæc NATATORIA est. Sed quomodo Oceanum transibo? natandi motu & fluctuum impetu fatigabor, peribo; tum etiam nihil mecum adducam, quando enim aquæ me committo, vel nullâ vel levi sarcina me onerari oportet. At video ibi magnas arbores & ligna sursum perpetuò ferri, neque submergi. Agedum, commodâ figurâ illa exasciabo, deinde illis insistam; sic transibo. Hæc origo NAUTICÆ. Sed nunquid & naturalem, quæ aquæ inest, fluendi vim ad usus meos accommodabo? Certè ad varias machinas, ut molendina, aliaque movenda, & ad tempus mensurandum, & ad sonos edendos. Hinc *Clepsydra*, hinc *Hydraulicum*. Quæ omnia ad Præcticam Hydographiam refero.

XVII. Terram & aquam, meque ipsum cinctum video vasto illo & pellucido expanso, quod *ærem* dicimus: cujus fluidam naturam, rarefactionem inprimis & condensationem investiganti AËROLOGIA constituitur. Ex qua contemplatione multas etiam ad vitam meam jucundiùs & salubriùs ducendam capere possum utilitates. Neque *Ignis* considerationem præmittito: unde tot ac tanta ad genus humanum commoda proveniunt. Quæ PYROLOGIA fundamentum præbet *Pyrotechniæ*, & Chymicis & Bellatoribus, inter alios, scitu pernecessariæ.

XVIII. Porrò aëri immixtas animadverto varias exhalationes & vapores; nebulas, rorem, pruina, nubes, pluviam, grandinem, nivem, ventos, igniculos, fulmina, aliaque id generis. Quorum consideratio METEOROLOGIAM absolvit, non infimam naturalis Philosophiæ partem, ubi & Iridis, Halonum, Parheliorum & Paraselenarum natura investigatur.

XIX. Neque Animus vasta illa corpora considerat, quasi nuda essent, omni suppellectibili destituta. Aërem omnis generis volucris inhabitatum; Aquam piscibus refertam videt. Illa cognitio ORNITHOLOGIAM, hæc ICHTHYOLOGIAM efficit. Sed quid prodest libera illa in æthere & Oceano natantia animalia cognovisse, imò quo pacto ea propius cognoscemus, nisi servituti nostræ subjiciantur & vagâ illâ libertate priventur? Hinc aucupii & piscationis necessitas, eorumque modum præscribens IXEUTICA & HALIEUTICA.

XX. Cum primis admirandam Dædalæ Terræ fecunditatem (quæ & Aëri pedum & Aquatiliis plerorùmque alimentum promit) enarrare superest. Verùm tanta rerum varietate animus nunc simul obruitur, ut quò se primùm vertat, non videat. Hic igitur se sistit; reliquorum notitiam proxima meditatione delineaturus.

MEDI.